

letis, Æther Heracliti, ac Aër Anaximenes. Cum enim diversæ oporteat esse figuræ particulas constituentes diversa corpora, diversa quoque habebis Principia. Et quamvis nunc citati Authores se angant ut deducant ex uno reliqua Principia, se ipsos tamen statim, confutant, cum principiata dicunt Principia.

Aristotelici Materiam & Formam, & in Generatione præcedaneam Privationem ubique offerunt. Sed sublato fundamento, & deductis ex sola Materia omnibus Phænomenis Corporum corrui opinio tota: nam nec ipsi inficias ibunt, Formam Materiæ demum supervenire, & quas quærunt latebræ in terminis, dum potius amant loqui; educi Formam è Materia, nec propriè eam generari, non omnimodè sunt securæ, cum vel hoc modo non satis hæc Principia sibi invicem sint contradistincta. Ut taceam hac ratione Metaphysicè nimis de rerum naturis loqui, nec Physicam & internam operandi corporum, rationem & modum exponi sufficienter. Quæ porro eos difficultates circa origines Formarum non circumstant. De substantiali quidem, dum ea completo enti demum supervenire dicitur, circa brutorum animas nova exurgunt retia. Et quæ tandem non sunt circa Traducem, Inducem & Educem è potentia in actum Formarum controversiæ, quibus irretiti clarum ac distinctum conceptum non possunt acquirere rerum.

Novatores mechanica sua Principia, bonam partem ex Epicuro, Anaxagora & Democrito hau-